# DISSERTATIO INAUGURALIS

SISTENS

CASUM MEMORABILEM

EXSECTAE DIMIDIAE

# MAXILLAE INFERIORIS

EX ARTICULO,

PRAEVIA SUBLIGATIONE CAROTIDIS,

---

QUAM

CONSENSU

FACULTATIS MEDICAE HALENSIS,

PRAESIDE

CURTIO SPRENGEL

FAC. MED. DECANO AC SENIORI,

UT SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSAT

DIE V. APRILIS MDCCCXXVI

PUBLICE DEFENDET

FRID. HENRICUS CHRISTOPHORUS LAMBERT

GARDELEGENSIS.

---

HALAE

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.

VIRO ILLUSTRI,

# J. F. C. DÜFFER,

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,

NEC NON

VIRO EGREGIO,

# P. LOHSE,

PHARMACOPOLAE GARDELEGENSI

GRATISSIMI ANIMI

ERGO

HASCE PAGELLAS DICAT

AUCTOR

# PRAEFATIO.

Haud perperam ars medica dicitur e casu infausto saepe plus utilitatis capere, quam e fausto. Etenim funestus morbi exitus non modo medicum excitat, ut diligentius et studiosius in eius naturam inquirat, verum etiam exoptatam haud raro occasionem ei offert, per sectionem cadaveris ejusque examen accuratius, cognitionis suae aeque ac artis limites extendere. Quae cum ita se habeant, non dubitavi casum chirurgicum tum per se, tum propter infaustum ejus exitum, singularemque ejus causam, memorabilem, hac data scribendi occasione, mihi exponendum sumere; eum in dissertatione hacce inaugurali cum doctis artisque peritis humanissime communicare, et pro virium modulo, omni qua par est modestia, paucis perpendere et explanare. Obtulit sese hicce casus anno praeterito in instituto clinico Cel. *Dzondii*, quo annuente, publici juris eum facere mihi licuit. Erit autem instituti mei ratio haec: Primum, de historia exsectae maxillae inferioris generatim quaedam praemittam; deinde historiam casus praesentis proponam, denique epicrisin parvulam additurus. Quae ut viri docti artisque periti ex aequo et bono judicent, mihique tironi benigne indulgeant, humanissime oro rogoque.

## I.

### *Quaedam ad historiam operationis, qua maxilla inferior resecatur, spectantia.*

Antiquis temporibus maxillae inferioris resectio ad sanandos ejus et partium vicinarum morbos, a chirurgis prorsus non in usum vocata esse videtur. Nullam enim, quantum equidem scio, ejus mentionem factam legimus, neque in libris chirurgicis veterum, neque in iis, qui historiam medicinae et chirurgiae memoriae prodiderunt. Nec recentioribus temporibus quicquam de hac medendi ratione occurrit; neque *Ploucquetus* diligentissimus monumentorum literariorum medicorum conquisitor, in thesauris literariis medicis aliquid reperisse videtur [1]).

Primus audaciam juxta ac dexteritatem in resecanda maxilla inferiore probavit *Mursinna*, peritissimus chirurgus. Militem enim, cui, tormentum bellicum administranti, globus e mortario projectus omnem maxillam inferiorem comminuerat, multi viderunt fide digni testes, a *Mursinna* ita curatum, ut maxillae resectae artificialem substituerit. . . Hunc sequuntur *Delpech*, Prof. Monspessulanus, et *Astley Cooper*, chirurgus celeberrimus nosocomii, cui Guidonis nomen est, Londini. Prior, *Delpech*, jam anno 1819, secundo die mensis Julii, particulam anteriorem maxillae inferioris mulieris triginta annos natae, ob fungum medullarem ex

1) Laudat quidem, sub titulo: Ablata pars, librum *Brandisch* in *Simmons* Sammlung Nr. 13., sed deficiente autopsiae hujus libri, nescio utrum de parte casu, an arte ablata sermo sit. Verisimilius profecto prius videtur.

ſſe enaſcentem, felici cum ſucceſſu exſcidit [2]). Posterior, *A. Cooper*, eodem anno 1819, aut forſan anno antecedente, aut ſubſequente, particulae morboſae maxillae inferioris exſectionem mulierculae propoſuit, verum; utrum re vera fecerit, non liquet. Neque de anno ſatis conſtat, nam liber, in quo hanc operationem propoſuit [3]), editus eſt anno 1820. Quare certo ſtatui nequit, eodem anno an antecedentibus, hujus operationis conſilium ceperit et exſecutus fuerit. Hoc certo conſtat ſaltem 1820 haec, quae de inſtituenda excіſione partis maxillae inferioris propoſuerit, ſcripta et memoriae mandata eſſe.

Ulterius progreſſi ſunt Cel. *Gräfe*, Profeſſor Berolinenſis, et Dr. *Mott*, Medicus Noveboracenſis, quorum ille 1821 die 22 menſis Julii, non modo partem morboſam maxillae inferioris mulierculae exſcidit, ſed dimidiam maxillam inferiorem feminae ob carcinoma et excreſcentias oſſis, praevia ſubligatione arteriae carotidis, reſecuit, et ex articulo felici ſucceſſu ſolvit [4]). *Mottius*, anno ſubſequente die 25 menſis Maji, dextram dimidiam partem morboſam maxillae inferioris juvenis octodecim annorum reſecuit et ex articulo ſolvit, verum infauſto ſucceſſu, quarto enim poſt operationem die, aegrotus mortuus eſt. Bis praeterea, et antea particulas morboſas maxillae inferioris exſcidit, alterum anno 1821, alterum 1822 die 30 Martii in femina, utrumque fauſto cum ſucceſſu [5]). Cel. *Gräfe* quoque praeter caſum ſupra allatum, bis particulas

---

2) *Chr. v. Froriep's* Notizen. Vol. X. pag. 23 ſqq.

3) *A. Cooper* and *B. Travers* Surgical Eſſays. Part. I. 1818. P. II. 1820. London. 8.
Part. II. in vernaculam verſa. Vimariae 1821. 8. p. 509 ſqq.

4) *Gräfe's* u. *Walther's* Journal für Chirurgie u. Augenheilkunde. Bd. III. Heft 2. 1822. S. 256.

5) American medical Recorder. Januar. 1822. et ibid. July nr. 19. p. 561. Cfr. *Gräfe's* u. *Walther's* Journ. Vol. IV. p. 546 ſqq.

maxillae inferioris feminarum propter carcinoma et osteosarcoma feliciter resecuit, primum eodem anno et secundum anno subsequente [6]).

Anno 1823 bis particulas abnormes maxillae inferioris, pueri et adolescentis felici successu Parisiis a celeberrimo chirurgo *Dupuytren* resectae, verum non ex articulo solutae sunt [7]).

Eodem anno, a Dr. *Deaderick* in America, eadem partialis excisio maxillae inferioris feliciter perfecta est [8]).

Annis subsequentibus, 1824 et 1825, particulae morbosae maxillae inferioris a pluribus chirurgis, partim excisae, partim ex articulo solutae sunt.

Quinquies hanc operationem instituit Cel. *Cusack*, chirurgus nosocomii Dublinensis in Hibernia, prima et secunda vice anno 1824 in femina et puero particula exscissa, tertia, quarta et quinta vice anno 1825, in puella et duobus viris dimidia maxillae pars ex articulo ablata, omnesque operationes fausto successu coronatae sunt [9]).

Notatu dignum est, duas resectiones ex articulo factas esse, sine subligatione arteriae carotidis.

Eodem anno 1824, eadem excisio maxillae dimidiae inferioris ex articulo a Cel. *Dybeck* Varsaviae feliciter in viro [10]), et resectio partialis non ex articulo a Cel. *Schuster* medico apud Salzufflenses in viro infausto cum successu [11]), a Cel. *Kleinio* Stuttgardii in

---

6) *Gräfe's* u. *Walther's* Journal. Vol. VI. p. 72 sqq.

7) Ibid. Vol. V. p. 307 sqq.

8) American medical Recorder. 1823. M. Julius. Cfr. *v. Froriep's* Notizen. Bd. VII. S. 79.

9) Magazin d. ausländischen Literatur d. gesammten Heilkunde. 1825. Jul., Aug. S. 68. und Novbr. S. 446.

10) *v. Froriep's* Notizen. Bd. VIII. S. 95.

11) Ibid. Bd. VIII. S. 304.

viro cum felici successu [12]), a *Chellau* Americano [13]) facta est.

Utrum plura exempla praeter ea quae in antecedentibus enumeravi, adsint, equidem certo affirmare nequeo, verum non dubito, cum nusquam non artis periti sint, parique dexteritate excellant. Sed haec ad historiam primordiorum hujus operationis sufficere videntur. Intelligitur enim ex iis: consilium exsecandae particulae maxillae inferioris non nisi recentissimis temporibus a chirurgis coeptum.

Progredior nunc ad proponendum casum ipsum:

## II.

### *Historia morbi atque operationis.*

*Eleonora Werner*, puella viginti quinque annorum, forti et robusto corpore, firmaque valetudine utens, morbis nullis praeter eos qui infantilem aetatem infestare solent, vexata, anno 1818 post saltationem nimiam, dum domum revertitur, vehementissimum frigus subito corpore excepit, quo facto morbus eam ultra mensem male habuit.

Symptomata morbi, praeter ea, quae febrem vulgo rheumaticam dictam indicant, in maxilla inferiore magnopere dolente et difficillime movenda considere videbantur. Vix a gravi hac valetudine semet recollegerat, dum denuo frigore correpta, vehementissimis maxillae potissimum dextrae doloribus excruciata, simul inflammatione erysipelatosa genae dextrae affligitur. Quae cum perversis remediis, epithematibus nimirum calidis humidis, male vexaretur potius

---

12) Neues Chiron. Bd. I. S. 545.

13) *Ch.* in the med. Review and analyt. Journ. Philadelph. 1824. Vol. I.

quam curaretur, abscessus orti sunt et per plures menses et annos una cum dolore, tumoreque genae dextrae maxillaeque immobilitate remanserunt. Jam, cum multis variisque remediis plures medici temere malo mederi studerent, abscessus vero sanari nullo modo possent, tandem ad auxilium instituti clinici, quod sub auspiciis Cel. *Dzondii* floret, confugit. A quo recepta et diligenter examinata, status morbi praesens repertus est hicce:

Gena dextra ab osse temporum usque ad maxillam inferiorem et ab aure usque ad nasum valde tumida profunde modice dolebat; tumor durus et fere ligneus erat, sine rubore, excepto loco quodam in regione ossis zygomatici, ambitu circiter pollicis, qui mollior erat, et in medio orificium abscessus continebat, sub ea cutis parte latentem. Altera gena paululum modo tumebat. Labia quidem, nequaquam vero maxillae diduci poterant, nisi forsitan vix ac ne vix quidem lineam unam. Puella ceterum bene nutrita erat neque febrili affectione aut alia valetudinis perturbatione vexabatur. Abscessus ille sinuosus pus lymphaticum secernebat, variis remediis frustra a chirurgis deligatus. E symptomatibus clare intelligebatur, membranas fibrosas, musculorum quippe vaginas et periosteum, irritatione cachecticae cujusdam diathesis e perspiratione cutanea suppressa orta, inflammatas, telamque cellularem induratam esse. E medela vero remediisque variis frustra adhibitis cognoscebatur maligna morbi indoles, quae potissimum in facie singularem naturam facile induit, quam chirurgi variis nominibus insigniunt, et modo Noli me tangere, jam cancrum nasi, nunc ulcera carcinomatosa, aut etiam herpetem exedentem etc. appellant. Quamvis enim faciem vulgarem morbus non prae se ferebat, experientia tamen instituti clinici docuerat, morbum jam jam nominatum interdum hac forma anomala sese offerre.

Prognosis ergo dubia erat, licet enim malum to-
;um tolli posse videretur, ob universam tamen par-
im ejus lateris faciei, et partim quoque alterius mor-
sam naturam, recursus timendus erat.

*Medendi ratio.*

Duplex erat malum, abscessus et induratio. Prior
jectione liquoris hydrargyri nitrici brevi tempore
nabatur. Tumor vero induratus, neque epithema-
bus siccis calidis aromaticis, neque emplastro narco-
co, neque frictionibus cum liquore ammonii caustici,
im spiritu camphorato mixto, cum unguento hydrar-
yri cinereo, neque demum internis remediis solvi po-
rat. Dimissa ergo post sanatum abscessum mense De-
embri ejusdem anni puella per aliquot menses nullis
emediis usa, domesticis negotiis quae ruri fiunt, vaca-
at. At insequente vere anni 1823 mense Martio,
egrota redibat, alium abscessum ejusdem genae paulo
iferiorem ostendens, qui cum injectione liquoris hy-
rargyri nitrici, aliisque remediis, v. c. injectione
olutionis kali caustici, lapidis infernalis, decoctionis
orticis ulmi cum zinco sulphurico remediisque inter-
is, v. c. hydrargyro, ferro etc. frustra curaretur, tan-
lem pulvere quod a fratre Cosmo nomen habet, brevi
empore sanatus est. Ceterum tumor idem semper man-
it, maxilla inferiore prorsus fere immobili. Sanata et
limissa puella post aliquot menses ad institutum rediit
um simili abscessu, inferiori adhuc loco et maxillae in-
eriori insidente, qui simili modo eodem remedio brevi
empore sanatus est.

Jam malum prorsus sublatum videbatur: puella
enim, excepto tumore, immobili et haud mutato, per
duos fere annos bene valebat, negotiis suis vacans. At
spes nos fefellit. Anni enim 1825 mensis primus aegro-
tam ad institutum reduxit cum malo eodem, verum in
loco multo magis incommodo et periculoso haerente;

nimirum non modo in maxillae anteriore parte, fed etiam in tota ala finiftra maxillae inferioris, et in regione parotidis poneque articulum maxillae radices egerat. In tota enim illa regione non modo dolor acutus, verum etiam tumor et fiftula pus effundens in mento fefe aperiens obfervabatur. Migraverat morbu a dextra faciei parte ad finiftram, prorfus enim libera ab omni inflammatione et fuppuratione dextra gena erat, neque multum tumebat, indurata tamen. Siniftra vero non modo gena tumida dolebat, fuppurationis profundae fedes, fed os ipfum maxillae inferiori exefum et corruptum reperiebatur. Durities potiffimum et cutis morbofa in ea maxillae parte animadvertebatur, qua dentes molares, tertius et quartus, fedes fuas habent. Praeter haec fymptomata, excrefcentiae fungofae in cavo oris ejusdem lateris interiorem genae et gingivarum fuperficiem exteriorem obtegebant, ad tactum dolentes, et in finubus Maeandricis, qui cum interno absceffu communicabant, pus male olens fundentes.

Contra hanc mali atrociam nullum remedium dynamicum, nequidem pulvis ifte Cosmi, quicquam valebat, licet bis aut ter adhiberetur; nihil ergo reftabat nifi culter, qui ex lege illa Ovidii

> Cuncta prius tentanda, fed immedicabile vulnus
> Enfe recidendum, ne pars fincera trahatur.

in clinico inftituto non nifi tum adhiberi folet, cum omnia remedia dynamica antea tentata, ad fanandum malum non fufficiunt. Verum cum puella confentire nollet, fed domum rediret, malum in dies auctum, doloribus acerbis tandem eam coëgit, ut rurfus ad inftitutum clinicum poft aliquot hebdomades confugeret et ultro ea expeteret, quae breve ante tempus recufaverat.

Status morbi is quidem erat, quem in antecedentibus defcripfi, tumor tamen multum auctus et ad au-

m usque et ultra ac deorſum verſus collum progreſ-
is erat, nec non verrucae in ore grandes ſuccreve-
int.

Cum ſedes mali tam profunda et in viciniis arte-
ae carotidis, tantaque eſſet, tutius viſum eſt Dire-
ori inſtituti clinici, antea arteriam carotidem ſub-
gare.

## *Operatio.*

Duplex igitur operatio inſtituenda erat, utraque
ec ſine vitae periculo aegrotae, nec ſine dexteritate et
rium intentione chirurgi perficienda. Maxillae
im ſiniſtra ala non modo ex parte reſecanda, ſed pro-
ter mali ſedem ex articulo ſolvenda erat.

Arteriae carotidis ſubligatio tum propter tumorem
cinum, tum propter brevitatem colli musculorumque
lumen, paulo difficilior, ita tamen abſolvebatur, ut
nnis nervorum laeſio aut extenſio ſedulo vitaretur,
rotide ſola compreſſa. Cum ob colli craſſitiem mus-
lorumque volumen arteriae ſitus paulo profundior,
ſubligatio ſeu contractio noduli in loco profundo
ulo difficilior eſſet, inſtituti Director, qui experien-
a praevia hanc rem cognitam habebat, trajectis acus
e duobus vinculis, quorum alterum ad elevandam
ululum arteriam, alterum ad ſubligandam eandem,
m modice elevaretur, deſtinatum, facili negotio rem
liciter peregit.

Aegrota poſt hanc deligationem nullam neque
rebri neque ſenſuum, neque ullius corporis partis
it functionis turbationem ſenſit, neque viribus infir-
ata. Statim igitur ad ſecundam operationem artifex
ogreſſus eſt.

Cum maxillae ſiniſtra ala, a dente canino usque
l condylos et cum iis reſecanda eſſet et una cum ea
rs abnormis cutis, cujus ſupra mentionem feci, in
gione dentis molaris tertii et quarti: inciſionis ini-

tium factum est a medio fere mento, culterque inferiorem circiter marginem maxillae inferioris legens usque ad auriculam et paulo ulterius productus, in regione processus mastoidei substitit. Absoluta hac prima incisione, secunda vestigia prioris ab initio secuta, mox sursum directa est et linea obliqua ascendens et postea rursus descendens, partem abnormem cutis, pollicem et dimidium latam et alterum tantum longam circumiens, atque separans a cute sana, in fine in priorem incisionem in regione processus mastoidei desiit. Absoluta hac secunda incisione, tertio cultri ductu cutis inferius et quarto superius a partibus subjacentibus morbosis sejuncta est. Qua paululum deorsum et sursum retracta ab adstantibus adjutoribus, quinto et sexto ductu culter in cavitatem oris penetrans, partes molles ad latus sinistrum hujusce inferius a maxilla inferiore et superius a maxilla superiore ita solvit, ut presse superficiem ossis sequeretur.

Quibus rite et absque difficultate peractis, maxilla inferior in regione dentis canini sinistri serra parva ita resecta est ut spathula lignea immissa partes molles retinerentur. Haec quoque operationis pars facili negotio absoluta est. Restabat ultima eaque difficillima solutio maxillae ex articulo, quae ita effecta est, ut culter lamina recta eaque angusta instructus ab utraque anteriore et posteriore parte immitteretur, et eo faciliori negotio, cum cultro lamina latiori et convexa acie instructo ligamenta articuli perscinderentur. Verum non absque difficultate, potissimum ea parte, qua ossi maxillari superiori contigua sunt; ita ut ipse instituti Director ingenue fateretur, condylum facilius ex articulo solvi potuisse, si a maxilla serra antea resectus fuisset; tum enim culter facilius ad posteriores et interiores articuli partes penetrare, et ligamenta commodius persecare potuisset.

Quare hanc regulam huic resectioni scribendam censuit: partem maxillae morbosam usque ad condylos

primum ferra refecandam et tum demum condylos cultro auferendos effe.

Ablata maxilla res nondum confecta erat, latuit enim in regione articuli abfceffus repletus corrupta et abnormi maffa fungofa cum pure mixta; qua demum diligenter et accurate remota, rem abfolutam declaravit cultrumque e manu depofuit Chirurgus.

Plures arteriae, dum fecaretur, fanguinis copiam per aliquod tempus fundebant haud parvam fed radio continuo, nequaquam faltu, brevi tempore vero fponte ceffabant, vinctura magni vulneris fimpliciffima fuit. Margines labiorum vulneris ab utraque parte ita fibi appropinquari poterant, ut alter alterum tangeret, et non nifi in medio lineam circiter diftarent. Unita igitur funt labia emplaftro adhaefivo iisque pulvilli e linteo carpto impofiti, fafcia denique idonea firmati.

Puella animi deliquium non paffa eft, neque ejulatus ullos edidit, fed fortem fefe praeftitit, uti feminae folent, quae faepe viros animo intrepido et patienti fuperant; natura quippe eas magis idoneas ad perferendos dolores formaffe videtur, quam viros.

Cum domicilium eius mille circiter paffus a loco quo duplicem hanc eamque ingentem operationem, fubligationem fcilicet arteriae carotidis et maxillae exfectionem paffa erat, abeffet; vehiculum in promptu erat, illa vero curru vehi noluit, fed contra exfpectationem omnium cito fcalam defcendit et firmo pede per plateas valde acclives nec admodum aequales inceffit, domum properatura.

Operatio facta eft octavo die menfis Julii.

Die fubfequente aegrota pro re nata bene fe habuit, dolores haud quefta; aliquot horas placide fudans dormivit, lactis et jusculi aliquid fumfit, fiti modica aquae frigidae hauftu depulfa. Ceterum, neque affectiones febriles nifi leviffimas, neque fenfuum, neque loquelae, neque artuum mobilitatis, utriusque

corporis lateris, ullam ſenſit mutationem. Vulnus, e quo ſanguinis parum noctu effluxerat, hoc die intactum manſit; linteum carptum vero, in oris cavo interiori vulneris ſuperficiei impoſitum, cum novo permutatum eſt, in quo et veſtigia incipientis ſuppurationis animadverſa.

Die 10 menſis Julii. Aliquot horas dormivit aegrota; affectiones febriles ſenſit, pulſus duriusculi, nonaginta fere per ſcripulum horae primarium, ſitis aucta, alvus ſtipata, doloresque in vulnere, potiſſimum in radice linguae et ad latus ejus: deglutitio difficilior, labia vulneris inflammata et paululum tumentia; ceterum et motus artuum corporis utriusque lateris et ſenſus et loquela haudquaquam abnormes ſunt. Vinctura vulneris permutata eſt.

Die 11 Julii. Symptomata fere eadem ſunt; febris vulneraria lenis, dolores vulneris modici, ſuppuratio cum lymphae ſecretione, labia vulneris media parte utrinque lineas duas vel tres livido colore.

Die 12 Julii. Idem aegrotae ſtatus; alvum dejecit: febris levis, margines vulneris in media parte, ea qua livido colore heri erant, nigreſcunt, atque particulae cutis, extremi quippe labiorum vulneris margines ab utraque parte gangraena correpti ſunt. Ceterum univerſus corporis, ſenſuum, mobilitatis et loquelae ſtatus naturalis, nec ullo modo turbatus.

Die 13 Julii. Eadem aegrotae conditio. Gangraena non progreſſa eſt, ſuppuratio non profuſa nec abnormis.

Die 14 Julii. Nocte praegreſſa, repente affectiones paralyticae lateris dextri et organorum ſenſus, nec non loquelae ſeſe manifeſtant. Brachium et pedem ſiniſtrum non niſi difficillime movere, neque loqui poteſt, niſi ſumma virium intentione quaedam verba: viſus turbatus, oculi quippe ſiniſtri pupilla dilatata et fere immobilis, recto oculo res diſtinguere poteſt: auditus non turbatus eſſe videtur, interrogata enim re-

espondet brevi affirmatione vel negatione. Color cutis aturalis, pulsus in utroque brachio idem, paulo frequentior, (90 — 94 pulsus) duriusculus et debilis. ↄangraena ulterius non progressa est.

Die 15 Julii. Status universalis idem fere. Gangraena substitit et partes mortuae solvuntur. Appetitus ıuam maxime prostratus, sitis minor; suppuratio non ıbnormis, neque profusa.

Die 16 Julii. Paralysis gliscere videtur, mobilitas voluntaria artuum dextrorum prorsus fere sublata, neque verbulum nisi interdum syllabam unam affirmandi aut negandi effatur. Auditus adhuc viget, interrogata enim interdum respondet. Vulnus non mutatum neque suppuratio abnormis. Alvus dejicitur, urina mittitur.

Die 17 et 18 Julii. Conditio aegrotae eadem. Vires decrescunt; paralysis eadem vel pejor. Partes gangraenosae prorsus separatae, labia vulneris flaccida et magis a se invicem diducta.

Die 19 Julii. Filum quo arteria carotis constricta fuit, laxatur et extrahitur.

Die 20 et 21 Julii. Affectiones paralyticae augentur et ad sinistrum quoque latus propagantur. Deglutitio difficilior, loquela nulla, audiendi facultas utrum adsit incertum est, nequaquam enim respondet ad quaestiones qualescunque. Alvus non dejecta his quinque diebus, quod haud mirum est, quia parum modo fluidi quotidie deglutit. Dolores sentire non videtur, placida enim et quieta est facies.

Die 22—25 Julii. Paralysis universalis. Status aegrotae ceterum fere semper idem; mortuae instar jacet nec pedem nec brachium nec manum movet, neque movere posse videtur. Nullius omnino membri compos videtur, nisi oculorum et palpebrarum, illos interdum circumagit, palpebras lente interdum movet; deglutire tamen, licet non nisi cum virium intentione, potis est, verum non nisi paululum fluidi ad hesternum usque diem. Heri vero et hodie nec hoc quidem potest.

Die 26 Julii. Placide exſpiravit ſine ullo ſenſus aut motus aut affectionis ſigno.

*Sectio cadaveris.*

Sectio cadaveris altero post mortem die instituta cauſam ſymptomatum aeque ac inexſpectati funeſti exitus oſtendit. In cavo cranii quod primum apertum eſt, omnia quidem ſana ac in ſtatu naturali reperta ſunt, lobus tamen cerebri ſiniſter non modo paullo mollior verum etiam paullo pallidior ſanguineque minus quam dexter abundare videbatur. In cavo abdominis, quod poſtremo aperiebatur, nihil abnorme repertum eſt. Vulnus ad exſectionem maxillae factum ab utraque extremitate cohaeſionem oſtendit, ceterum nihil abnorme. Vulnus vero ad ſubligandam carotidem factum externam quidem faciem habebat hanc: conglutinati ex parte erant musculi, inter quos via ad arteriam cultro facta fuerat, labiaque externa cutis, quae poſt operationem ſibi invicem ad tres lineas circiter appropinquata fuerant ſanationemque brevi futuram indicaverant, ad pollicem et ultro diducta et flaccida erant. Cum vulnus dilataretur, musculis ad utrumque latus retractis, abſceſſus repertus eſt circa locum, quo ſubligatio carotidis facta erat, qui cum cavo thoracis communicabat, puriſque corrupti copiam partim adhuc continebat, partim in cavum thoracis deſuderat. Carotidis parietes, qua conſtricta fuit, nondum concreti, aut ſi conglutinati, rurſus ſeſe ſeparaverunt ita, ut ſpecillum libere per eam transmitti poſſet. Nervus vagus et ramus hypologoſſi deſcendens in illo loco deſtructi, corrupti et mutato colore reperiebantur.

In thoracis cavo ſiniſtro, puris ejusdem corrupti, quod carotidem circumdabat, quantitas exigua reperiebatur; in cavo dextro vero lymphae aquoſae ſubrubentis uncia fere dimidia. Pulmones ceterum in ſtatu ſano, neque ulla cordis aut alius partis thoracis laeſio aderat; niſi quod forſitan pleura, ubi puris deſcenſu

:ritata fuerat, paululum intenfius rubefcere videretur, uam reliqua ejus fuperficies. Pus quantitate nondum imidiam unciam aequabat, colore ex atro et fufco ruente, ei fimile quod in putredinem abiit et cum cruore niftum eft. Ceterum nihil abnorme repertum eft.

## III.

### *E p i c r i f i s.*

Liceat mihi nunc de hac medendi methodo primum generatim et deinde de hoc praefenti cafu in fpecie quaedam addere.

*De maxillae inferioris exfectione generatim.*

Primum via et ratio maxillam refecandi et ex articulo folvendi commoda haec fine dubio eft, qua pars morbofa primum ab utraque parte ferrae ope perfecatur et aufertur; condyli vero tum demum ope cultri angufta et recta lamina inftructi, perfectis ligamentis eximuntur. Facilius enim culter circumcirca duci, condylique ita moveri poterunt, ut ligamenta commodius perfcindi poffint. Arteriam carotidem non nifi tum antea fubftringendam cenfeo cum dira et inevitabilis neceffitas poftulaverit, nimirum fi fedes mali in ipfa carotidis fuperficie aut circa eam eft, uti in cafu praefenti. Licet enim, experientia tefte, absque vitae periculo arteria carotis conftringi poffit, melius tamen et tutius turbatio tanta functionum organismi vitatur. Et re vera fine fubligatione carotidis maxillae refectionem ex articulo fieri poffe, exempla duo fupra laudata *Cufackii* Dublinenfis probant.

Quod ad periculum attinet cum folutione maxillae inferioris ex articulo conjunctum, non negandum eft, graviffimam profecto hanc effe laefionem eoque pleniorem periculi, quo propius culter ad organa nobiliora, carotidem, nervosque accedit, verum experientia do-

cuit hanc plagam per ſe, dummodo cauta et experta manu fiat, vitae periculum non minitari, neque ob laeſionem partium, neque ob inſequentem inflammationem, neque ob aliam organorum et functionum eorum turbationem. Mors quidem excepit hanc operationem, ſed cauſae ejus fortuito accedebant nequaquam ex ipſa operationis natura profectae.

Commoda denique quae haec maxillae reſectio et ſolutio ex articulo habet, multo ſunt majora quam incommoda, quae ſequi ſolent. Etenim vitae periculum quod hac operatione arcetur, multo majoris momenti eſt, quam moleſtia quae e maxillae abnormi mobilitate ſeu imminuta firmitate, tum cum particulae non conjunguntur, vel ex defectu dimidiae maxillae, cum ex articulo ablata fuit, aegroto oritur. Maſticare enim, experientia teſte, etiam tum poſſunt, cum concretio firma partium diſſectarum non locum habet et cum dimidia maxillae pars deeſt.

Quae cum ita ſint, haec chirurgica actio re vera artis progreſſus judicari et appellari poteſt, quem recentiſſimis temporibus debemus.

### *De caſu ſupra expoſito in ſpecie.*

Quod attinet primum ad neceſſitatem ſeu uti vulgo dicunt indicationem operationis, in caſu praeſenti non negari poteſt eam fuiſſe neceſſarium ſolumque remedium, quo malum atrociſſimum, carcinoma faciei, quod vulgo Noli me tangere appellatur, omnesque partes molles et duras exedit, foedeque corrumpit, ſanari, morsque certiſſima eaque horribilis evitari potuerit. Verum non propter mali naturam per ſe, ſed ob profundam ejus circa carotidem ſedem, et oſſis maxillaris corruptionem, nec non propterea quod remedium unicum, a quo ſolo auxilium in hoc morbo ſperandum eſt, pulvis Cosmi ſine effectu erat, neque ad fontem ſedemque profundam mali penetrare poterat. Reſecanda ergo et ſolvenda ex articulo erat maxilla.

At vero arteria carotis ſubſtringenda quoque erat, antequam maxilla exſcinderetur ex articulo. Tum propter ſedem mali, quae in ipſo carotidis thalamo et circa eam locum habebat; tum propterea quod veriſimillimum erat, ipſam carotidem malo illo affectam eſſe, omnes enim partes molles et durae, quae in viciniis iſtius carcinomatoſae affectionis ſunt, ſimul corripiuntur et niſi prorſus exſtirpantur et removentur, malum ulterius propagant.

De methodo inſtituendi hanc maxillae exſectionem ex articulo nihil fere addere poſſum, niſi quod ſupra jam memoravi, nimirum commodius condylos ex articulo ſolvi poſſe, ſi antea a reliqua maxillae parte abſcinduntur. Ceterum culter pro natura et forma figuraque mali, quod exſtirpandum eſt, dirigi debet, hoc tamen ſemper cavendum eſt, ne pars ejus potiſſimum carcinomatoſi mali ſuperſit.

### *De cauſis funeſti exitus.*

Reſtat ut de exitu funeſto hujus operationis et de cauſis ejus, ſymptomatumque, quae mortem praegreſſa ſunt, quaedam addam. Quae ut facilius intelligantur, recordemur neceſſe eſt, *primum:* inter carotidem et venam jugularem ramum deſcendentem nervi hypogloſſi, et ad latus internum carotidis nervum vagum ſitum eſſe; *poſt,* pus corruptum et putreſcens carotidem et nervos hos in illo loco, quo ſubligatio facta eſt, circumdediſſe; *deinde* ſymptomata gravia non primis poſt operationem diebus, ſed ſeptimo demum die inſecuta eſſe, nimirum paralyticas affectiones artuum lateris dextri oppoſiti ei, quo arteria ſubſtricta eſt; *denique* loquelae paralyſin conclamatam ſerius ſequutam, lateris vero dextri maturius; *tandem* puris corrupti copiam in cavo ſiniſtro thoracis repertam fuiſſe.

Quae cum rite perpenduntur, dubium eſſe non videtur, paralyticas affectiones nervorum et cerebri, turbatione puris abnormi effectas eſſe. Licet enim ſubli-

gatio carotidis per ſe, teſte experientia, haud raro debilitatem artuum oppoſiti lateris inducat, ea tamen neque exquiſita paralyſis eſt, neque ſemper continuatur, ſed ſenſim decreſcit et in ſtatum priſtinum ſanum mutatur. Non inficior quidem, arteriae carotidis ſubligationem per ſe in hoc quoque caſu paralyſeos cauſam primariam fuiſſe, verum non tanti gradus, neque funeſti ejus exitus. Sed cum lobus cerebri ſiniſter defectu ſanguinis per arteriam adducendi debilitatus eſſet, eo facilius effectus debilitans miasmatis, puris puta corrupti, eum afficere, functionem ejus turbare et propter nervorum decuſſationem in medulla oblongata paralyſin membrorum lateris oppoſiti efficere potuit.

Loquelae vero abolitio ſine dubio ejusdem puris corrupti vi in nervum vagum et hypogloſſum effecta eſt, quae ſimul cerebrum et ſecundaria affectione nervos oppoſiti lateris corripuit et turbavit, nec non usque ad pulmones ſeſe propagavit eorumque functiones in praeparando ſanguine arterioſo conſpicuas impedivit.

Mors igitur denique neque ſubligatione arteriae carotidis, neque maxillae reſectione effecta eſt. Sed cauſas prorſus ſingulares habuit, quae ſine dubio in illo corrupti puris miasmate quaſi in foco et centro colliguntur. Pus enim corruptum et putreſcens, nequaquam naturale et legitimum, ad inſtar veneni fortiſſimi organismum afficit, et ita quidem, ut brevi tempore vita deſtruatur, non ſecus ac flamma, cui cineres injiciuntur. Pulmones praeterea ipſi et puris contactu et nervorum ſupra memoratorum impedita efficacia debilitati ad univerſam paralyſin mortemque eo maturius adducendam ſine dubio contribuerunt, praeſertim cum calor aeſtatis ſummus eſſet, aegrotaque in ſumma aedium contignatione ſub tecto cubaret. Qua re non mirum eſt, naturam eo minus funeſtae miasmatis efficaciae potuiſſe reſiſtere et eo citius aegram periiſſe.

# CURRICULUM VITAE.

Ego, *Fridericus Henricus Christophorus Lambert,* Gardelegae die XXV mensis Octobris ipso hujus saeculi limine, patre *Nicolao Lambert*, chirurgo, atque matre *Friderica* e gente *Mageriana,* quos summa pietate colo, natus sum. Scholam Gardelegiensem, sub *Islandi* auspiciis, eo tempore rectoris, doctrina pari ac humanitate insignis, florentem, per complures annos frequentavi. Prohibuerunt autem facultates patris, belli turbis valde minutae, quominus postmodum ad literas incumberem. Quam ob rem ad artem pharmaceuticam discendam, in qua *P. Lohsius* patris instar me erudivit, ejus pharmacopolium Gardelegae adii. Tum in eadem arte per biennium in officina *Trommsdorffii* Cl. Erfordiensis merui. Anno hujus saeculi vicesimo tertio, mense Majo, me in hanc claram sedem literarum contuli, civibus a *Maassio* beato, cui fasces tum erant, adscriptus et per triennium scholas, quae sequuntur, frequentavi. *Sprengelius* Cl., cujus summam erga me benignitatem per totum vitae decursum colam, botanicen et plantarum physiologiam me docuit. *Düfferi* Cl., examinatorio et disputatorio. *Dzondii* Cl. Ophthalmologiae, Chirurgiae, arti fascias bene applicandi Ejusdemque scholis clinicis per annum interfui. *Friedländerus* Cl. mihi tradidit encyclopaediam et methodologiam de medicinae studio, pathologiam et therapiam generalem, iamatologiam, toxicologiam et anthropologiam psychicam. *Krukenbergium* Cl. de pathologia et therapia generali et speciali differentem audivi, Ejusque scholas clinicas per annum frequentavi. *Meckelius* Cl. physiologiam, anatomiam et normalem et pathologiam atque artem funera secandi me docuit. *Weinholdium* Cl. de cursu operationum chirurgicarum et de arte fascias applicandi audivi. *Niemeyerus* Cl. artem obstetriciam et infantum morbos curandos mihi exposuit, cujus scholis clinicis uti non neglexi. *Herzbergio* Cl. doctrinam de herniis, luxationibus et fracturis debeo.

Praeterea adsedi *Maassio* beato, logicam, *Germaro* Cl. mineralogiam, *Nitzschio* Cl. zoologiam et helminthologiam, *Schweiggero* Cl. physicam ac chemiam experimentalem, *Gartzio* Cl. geometriam docentibus.

---

# THESES.

1.

Azoticum corporis animalis efficaciae ope, quam principium vitale in alimenta exſerit, originem ducit.

2.

Corporibus anorganicis vita inſita eſt.

3.

Proceſſus chemici eodem modo in organicis ac in anorganicis corporibus fiunt.

4.

Pulmo in aqua natans non eſt certum interfecti infantis documentum.

5.

Partialis icterus non exſtat.